

PIETAS
CORNELII CENTU-
RIONIS CÆSARIENSIS,

ANTEQVAM AD EUM MITTERETUR PETRUS,
EX ACTOR. X, 2. DELINEATA.

QVAM

D. B. J.

CONSENTIENTE R. FACULTATE THEOLOGICA

P R Æ S I D E

*VIRO MAXIME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO
AC AMPLISSIMO,*

JOANNE FECHTIO,

SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. LONGE CELEBERRIMO,
CONSISTOR. DUCAL. ADSESS. ET DISTRICT. ROSTOCH.
SUPERINTENDENTE VIGILANTISSIMO,

DN. PRÆCEPTORE, PATRONO, HOSPITE AC IN CHRI-
STO PATRE FILIALITER ÆTERNUMq; DEVENERANDO,
IN AUDITORIO MAJORI

HORIS ANTEMERIDIANIS

AD D. XV. OCTOBR. ANNO MDCCI.

PUBLICÆ PLACIDÆQVE ERUDITORUM DISQVISIONI
SUBMITTET

JACOBUS BEETZ,
RIGA - LIVONUS.

R O S T O C H I I,
NUNC RECUSA, ANNO 1719. (4)

Coll. diss. A
32, 56

a. XXXII. 56.



* (3) *

DE
PIETATE CORNELII CENTURIONIS
MEDITATIO SACRA.

I.



DE pietate, hodierno Ecclesiae nostrae statu vel severiori studio promovenda, vel ad Divini verbi regulam exactius emendanda, tantae extremo hoc tempore obortae sunt contentiones, ut parum absit, quin pietatem in ipsa pro pietate æmulatione amiserimus. Quippe ex una parte pro vero solidoque pietatis corpore inanis species, Christianam humilitatem mentiens, inque sinu suo superstitionem æque ac hypocrisin complexa, ex altera disertum garrulumque de pietate multiloquium, interiore vi atque virtute cassum, sollicita illa de pietate litigatione obrudi, plurimis fuit persuasum. Nec tamen, ideo infructuosum est, de pietate disputare, ejusque inquirere indolem atque effectus. Nam & Christus, Servator noster, intemeratam pietatem adversus fucosos ejus simulatores, pietatis larva totam Judæorum gentem seducentes, dum alii pia loquerentur potius, quam facerent, ex immotis fundamentis valide & diserte asserere non intermisit. Docenda semper veritas est, si-ve ejus in audentium animis amor oboriarur, si-ve contemptus. Quique operam dare pietati cupiunt, nec de pietate Divinitus informati sunt, aut pietati *πορισμὸν* seu fructum, quam revelatum est, aut alium, aut eminentiorem adsignant, adversus illos, tanquam veræ pietatis hostes, bellum sacrum merito suscipitur, quantumlibet id foedæ altercationis convitio a Fanatico hominum grege causato, vivendum pie, non rixandum esse, traducatur. Quamobrem cum disputandi nunc aliquod argumentum e cathedra publica esset proponendum, non dubitavimus præsens, quod Cornelii, Centurionis Cæsariensis, pietatem repræsentat, eligere & placido commilitonum judicio atque *συμπάξει* exponere. Id

A 2

vero

vero ut serium pietatis sensum in legentium atque audientium pectoribus incendat, impensissimis a Deo precibus efflagitamus.

II. Cornelius Centurio erat cohortis in Italia lectæ, quæ Urbi Cæsariensi, non illi, quæ in Cappadocia Magni Basilii Episcopatu celebrata est, nec ei, quæ in Phœnicia in honorem Tiberii a Philippo instaurata, sed quam in Palæstina ornatus exstructam Augusti nomini sacrauerat Herodes major, custodiendæ fuerat imposita. Tres pietatis fama in sacris memorantur Centuriones, nempe præter hunc Cæsariensem, Capernaiticus ille, tanta tamq; stupenda præditus fide, ut hoc ei encomium impertiretur ipsa veritas: *talem in Isræle se non reperisse*. Matth. IIX. 10. Et iste Hierosolymitanus, qui sdstans cruci, vidensque quo cum totius naturæ horrore exspiraret Christus, glorificavit Deum dixitque: *revera homo hic justus erat & DEI Filius!* In cuius memoriam ante novennium doctissimum meletema concinnavit inclytus nominis fama Theologus, D. Georg. Henr. Gæzius.

III. Miles igitur erat Cornelius, isque eo impensius admirandus, quod cum militaris vitæ professores blasphemi ut plurimum in Deum atque deprædatores & injurii esse soleant in proximum, juxta illud Lucani: *nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur*, ipse non tantum religiosus fuerit in Deum & beneficus in proximum, sed in his virtutibus plerosque alios, qui civili vitæ dediti fuerant, antegrederetur. Ita enim servi ipsius, cum domestici tum militares, ad Petrum: *Cornelius Centurio, vir justus & timens DEUM & testimonium habens ab universa gente Judæorum. v. 22.* Judæi suorum tantum admiratores erant, gentium facta, etsi illustria, despiciebant. Quin nativo quodam odio gentiles, tanquam תיעבה, *abominationem* aspernabantur. Excelserint itaque necesse est Cornelii virtutes, quod & Judæorum & totius Judæorum multitudinis tantum encomium promerentur. Nec Christiani quoque militaris vitæ cum summo pietatis fastigio conjunctionem sine stupore quodam intueri possunt. *Joannes Brentius*, Divini ingenii Theologus, cum a Cæsarianis ad mortem quæreretur, aufugit, utque tutius latere posset, ULRICI Württembergici consilio Præfectum aliquandiu civilem egit. Mira
res

res & insolens illius oppidi civibus videbatur, magistratum hunc suum non more istiusmodi hominum diras execrationes & blasphemias nominis Divini evomere, nec comotationibus ad aequales bau-
stus indulgere, nec similia facinora egregia patrare solere, talem-
que præfectum nunquam se vidisse testati sunt; ceu in vita viri enarrat *Melchior Adami*. Quantum miraculo similis est, virum militem, quod vitæ genus est cædibus, avaritiâ, latrocinis, extor-
sionibus, maledicentiâ in Deum hominesque infame, humilitati, modestiâ, justitiâ, liberalitati, benignitati, ut verbo dicamus, pie-
tati studere, Deumque magis timere quam Imperatorem?

IV. Sed & hoc ex Cornelii exemplo consecutarum depromptit Chryso-
stomus: neque inconveniens Novi Test. disciplinæ esse bellum, neque militem vitam DEO displicere; neque ita cum pietate pugnare militiam, quin & ipsos nonnunquam in religiosæ vitæ studio milites anteiverint monachos. Neque enim cum hunc Centurionem ad fidem Christi adduxisset Petrus, militiæ eundem repudium mittere iussit, quod nec fecit in simili casu Johannes Baptista. Qui vero displicere militaris status DEO poterit, qui immersum hunc militiæ negotiis Centurionem Angelica visione dignatus est, eique Apostolum misit, *verba ipsi loquentem, quibus solvaretur ipse & tota domus ipsius? c. XI. 14.* Quamquam vero, ut hodie belligerendi mos est, a quo ne separari quidem injustitiam & manifesta scelera posse, in ipsa etiam militia ij, qui animum retinere a flagitiis immunem serio adlaborant, nonnunquam confitentur, quibus tam Theologis pietatis ardore vehementius incensis, persuasum sit, salvo DEI timore nomen militiæ dari non posse, tamen ob hunc abusum, si summi Principis, bellum geren-
tis, provida accesserit vigilantia, non plane inevitabilem, belli ideo usus legitimus esse non cessat. In ipsis Christianismi primordiis plures memorantur centuriones, pietatis gloria insignes, quam sacerdotes. Seculi tertii fine integra militum legio, The-
bæa dicta, nunc contra hostem ad fundendum sanguinem itura, eo quod Diis sacrificare recusaret, jussu Imperatoris semel atque iterum decimationem passa, ultimo omnes, una cum tribuno Mauritio, qui suos simul ad fortitudinem & constantiam erexit,

animo imperterritito, a reliquo exercitu interempti, martyrium subierunt. Nec enim de historiae veritate e nostris dubitant Magdeburgenses, Micrælius, Historia Ecclesiastica Gothana, Horneius, Henichius, Dannhæverus, Bæclerus, Bebelius, Kortholtus. (a). Qui nunc in ipsa adolescentia sua stupendo posteritati exemplo gloriam omnem supergressus est, CAROLUS XII. Svecus, summo cum Numinis cultu atque timore gerere bella, eandemque pietatem seriis severissimisque mandatis universo exercitui commendare ab omnibus memoratur. Cujus & pietas Centurionis nostri exemplo, jam *ascendit in memoriam in conspectum DEI*, iisque Regem victoriis coronavit, quales plurimorum seculorum fama nec in maximis orbis principibus fuerunt celebratae, quæque miraculis quam rebus gestis sunt similiore.

V. Accedimus vero ad propius considerandam Cornelii nostri pietatem. De qua Lucas: *Ευσεβής ἔ φοβέμεν τὸν θεόν, σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ποιοῦν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ ἔ δεόμεν τῷ θεῷ διαπαντός.* Quæ verba ab interprete ita redduntur: *Religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi & deprecans Deum semper.* Nihil in ullo vel vocabulo vel totius sermonis constructione aut difficultatis est, aut obscuritatis, ut inanis infumeretur opera, si Philologorum hic præsidia curiosa disquisitione in auxilium vocarentur, Describitur nempe Cornelius a pietate adversus Deum & charitate adversus proximum. Illa verum de Deo sensum, *Ευσεβείας* voce expressum, & rectum Dei cultum, per DEI timorem & indefessum precandi studium indigitatum, complectitur. Hæc vero in præ-

(a) Fabulis accenses G. Arnoldus, in Hist. Eccl. & Hær. T. I. Sec. III. c. II. §. 13. ut pro more suo omnibus aliis sese opponat. Henr. Dodwellus, Dissertatione Cypriana de martyrum paucitate, quam tantus hic Thebæorum numerus dubiam reddere poterat, alto silentio præterit; qui potius facti veritatem ceu sibi oppido adversam refellere idoneis argumentis debebat. Præterit & hanc Thebææ legionis historiam Lactantius, libello hoc demum seculo invento de Mortibus persecutorum, qui tamen ultimam persecutionem, ei quippe vicinus, omnium fusissime describit; quod qualemcunque historiae veritati suspicionem creare potest.

CENTURIONIS CÆSARIENSIS.

in præcipuo charitatis opere, quod est eleemosynas indigentibus
 elargiri, reluctet. Rotunde igitur Chrysoftomus ad hunc versum:
 ἔτω καὶ τὰ δόγματα καὶ ὁ βίος αὐτῶ διαρῥωτο, i. e. *Erasmio Re-*
serodamo interprete: sic & dogmata & vita illius recta fuerunt.

VI. Εὐσεβείης generatim *pium & religiosum* notat. Eum nam-
 pe, qui ante omnia pie & religiose de DEO sentit, quomodo sen-
 tiendum esse de DEO tremenda Numinis majestas & reverentia
 creatori a creatura sua debita, partim ex dictato rectæ rationis, par-
 tim ex Divini verbi regula, requirit. Quamquam vero plerum-
 que cultum simul optimi maximique DEI involvat, non tamen
 improbable est, hoc loco, ubi φόβος τῷ Θεῷ, *timor Dei* eidem
 adjicitur, qui animi summam humillimamque inclinationem De-
 um colendi & voluntati & voluntati ipsius obediendi denotat,
 religiosam de DEO & sanctitati ipsius convenientem sententi-
 am, vel unice vel præcipue exprimere. Nisi dicere velis, utram-
 que vocem ἐκ παραλλήλων poni, alteramque per alteram explica-
 ri. Nam nec hoc absurdum est aut a S. Literarum usu atque con-
 suetudine alienum. Latina quidem pietatis vox ex veteri more
 officium potius, quo parentibus & aliis, quibus vel ob ætatem,
 vel imperium, vel necessitudinem, vel beneficia obnoxii sumus,
 enunciat & recentior significatio est, qua religioni erga Deum
 adaptatur. Qua in re ab usu Græcæ vocis longe recedit. Εὐσε-
 βεια enim primo & proprie in Deum, non in homines, fertur &
 quando de cultu atque honore, qui rebus nonnunquam creatis
 adscribitur, a profanis pariter sacrisque scriptoribus usurpatur,
 respectus tamen religiosus ad DEUM, talem actum præcipientem,
 habetur. Ut cum apud Euripidem legitur: Εὐσεβείη περὶ ξένων,
pius sis erga hospites. Q. d. respice Deum, peregrinos tibi hospi-
tesque sollicitate commendantem. Vide, ne eos vel negligendo
vel injuria afficiendo DEUM, severum eorum vindicem, offen-
das. Ita quando Paulus viduæ liberos jubet discere τὸν ἴδιον οἶκον
εὐσεβεῖν I. Tim. V. 4. Theophylactus, non abnuente Ambrosio
 & Augustino, τὸ εὐσεβεῖν interpretatur per γηροκομεῖν, *matrem*
senio confectam curare, sed illico rationem, cur pietate matrem
prosequi debeamus, addit: quandoquidem Divina sit dignitas pa-
rentum.

parentum.

rentium. Parentes quippe venerando Deum colimus, qui hoc præcepit, in primis si vidua sit mater, cum viduarum nobis major quam reliquorum hominum cura a DEO sit injuncta. Unde memorabilis Jacobi locutio est: *Θρησκεία καθαρά ἢ ἀμείαντος* παρά τῷ Θεῷ ἢ πατρὶ αὐτῆ ἐστίν, ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανῶς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, c. I. 27. *religio pura & immaculata apud DEUM & Patrem hoc est, visitare orphanos & viduas in afflictione eorum.* Quanquam Hugo Grotius εὐσεβεῖν Hebræorum more transitive accipiendum esse & viduæ præcipi existimet, ut ipsa ad pietatem educet liberos. Magna præterea cum εὐφουσει Græci τῷ σέβειν, *colere Deum*, adjungunt τὸ εὖ, ut noceat, recte & ad DEI præscriptum, non proprium hominis arbitrium, colendum esse DEUM. Quod si non fit, μάταιος ἡ θρησκεία merito dicitur: *vana religio*, ex Jac. I. 26.

VII. Jam porro φοβέμενος τὸν Θεόν, *timens Deum* est, qui totam animi sui intentionem ad id dirigit, ut Deum secundum notitiam, de ipso haustum, colat & veneretur, ne qua in re ulla sanctitatem ejus offendat, aut justitiam in se provocet. Timor hic est, partim qualis est filii erga parentes, ex amore & reverentia compositus; amoris enim est facere, quod Deus jubet, timoris est, facere quod prohibet: partim qualis est servi erga herum suum, justa indignatione in ipsum incensum. Deus enim timendus est, ob summa beneficia sua, paternis longe majora, ita ut eundem ex intimis animi visceribus amemus, neque tam ad iram eundem provocare metuamus, quia inobedientibus immittere supplicia potest, quam quia indignum est, patrem tam benignum, tam liberalem ad dolorem quasi aliquem aut indignationem invitari. *Timet enim filius bonus*, ait alicubi Augustinus, *ne vel in modico oculos amantiissimi patris offendat.* Atque hic timor iis etiam competit, qui Deum & vere amant & a DEO vicissim amantur. Si tamen frena aliquando petulantiae laxemus & ad justam Deum iram iritemus, timendus etiam est ut herus noster & severus judex, pœnarum myriadas nobis immissurus. Qui timor in eos quidem, qui vero perfectoque amore Deum prosequuntur, non cadit, i. Joh. IV. 18, tamen ex gratiosa DEI intentione in his ipsis excitatur,

excitatur, ut ad pœnitentiam ipsos & reditum ad filialem amorem alliciat. Utriusque timoris frequenter facit mentionem verbum Divinum, utrumque ab homine requirit. Deut. VI. 13. X. 20. Mal. I. 6. Matth. X. 28. Ex. XX. 20. Unde & ipse Deus יְהוָה , *timor Isaaci* vocatur, Gen. XXXI. 42. 54. & Latinum Deus a Græco δέος , quod timorem significat, descendere ideo nonnullis dicitur. Imo timore Domini universa religio Christiana frequenter absolvitur, dum eo & amor Numinis & cultus ejusdem & officium erga proximum propter Deum & legis universæ observatio significatur. Psalm. XXXIV. 12. Prov. II. 13. Job. XXIX. 28. Hinc istud: *timor Domini initium sapientiæ*, Psalm. CXI. 10. Prov. I. 7. IX. 10. veram religionem radicem & fundamentum esse innuit, omnis sapientiæ veræ, salutaris, fructuosæ. Illa cum omnis gentium & seculi sapientiæ destituatur, inane illa nomen est & fructus omnis expers. I. Cor. XIII. 2. c. I. 21.

II. Nec pro se tantum Deum timebat Cornelius, sed cum tota quoque domo sua. ὅλην familiam notat, uxore, liberis, servis, ancillis, imo etiam cognatis, affinibus, necessariis constantem, quorum ne unus quidem extra pietatis tramitem exorbitabat: *timebat enim Deum Cornelius non cum uno tantum alteroque e familia sua, sed cum tota domo sua*. Davidem, regem militemque imitabatur, qui, *oculi mei, inquit, attendunt ad veraces terræ, ut confideant mecum, ambulans in via integra, is ministrabit mihi. Non habitabit intra domum meam faciens dolum, loquens mendacium non stabilietur coram oculis meis, singulis matutinis excindam omnes improbos terræ* Psalm. CI. 6. 7. 8. Quare & ad Petrum mittit, non quoslibet, sed sui similes, pietati pariter præ cæteris deditos, duos ex domesticis suis, qui nempe timebant Deum, unumque ex centuria $\text{τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ}$; non expressit emphasin Vulgata: *ex his, qui illi parebant*. Quare rectius Beza: *ex iis, qui secum assidui erant*. Et Seb. Schmidius; *qui adharebant ipsi*: Est enim προσκαρτερεῖν *præsto sibi esse & permanere*. Act. I. 46. Jo. Pricæus h. l. *Qui apparebant ei, i. e. ad jussa exequenda ejus pro foribus adstabant*. Quem in sensum Ovidium adducit ita scribentem: *Ille fores Domine servat, & ille ducis*. Sed cum ejus-

B

modi

modi vigiliis atque custodias omnes singulique milites per vices obire soleant, e ceteris potius unus intelligendus erit. Nempe ex eorum numero, quibus præerat, quosdam in familiaris secum consortium & religionis precumque societatem pertraxerat, quos eundem secum adversus Deum animadverterat animum gerere, similique conscientia innocentia studere. Horum unum una cum domesticis ad Petrum ablegat, *σπασιώτην εὐσεβῆ, militem religiosum.* Ut illico ex missorum moribus, sermonibus, conversatione deprehendere posset Petrus, universa in Centurionis domo pariter atque militum turmis ad veram seriamque pietatem esse composita. Si enim ex militibus hominem misisset ferum & perditis moribus advetum, quale hominum genus nos Germani appellamus, *Wilde und rohe Kriegegurgeln* subisset mentem Petri verus verbum: *qualis rex, talis grex; & noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.* Quod vero per domum Cornelii tota quoque viri necessitudo intelligatur, id clarissime prodit, quod adveniente Petro convocaverit Centurio *τῶς συγγενεῖς αὐτῆ καὶ τῶς ἀναγκαίους φίλους, v. 24. cognatos suos & necessarios amicos.* Ubi per cognatos sanguine juncti, per necessarios affines admodum verosimiliter exaudiuntur. Nam jam olim Gellius scripsit: *qui ob jus affinitatis familiaritatisve conjuncti sunt, necessarii dicuntur.* Hi cum Cornelio universi Petrum expectaturi coeant, venientem excipiunt, desiderium eundem audiendi exponunt, differunt auscultant, verbo fidem adhibent, Spiritum S. accipiunt & baptismum. Hem quanta, quamque obstupescenda est hæc militis pietas! *Audiamus nos,* clamat Chrysostomus, *quorum domesticos negligimus.* Vides hic Cornelium, patrisfamilias simul & Episcopi in domestica Ecclesia officium strenue & incredibili cum successu obeuntem. *Non facit,* ait Chrysostomus, *sicut nos, qui omnia facimus, ut nobis reverentes sint famuli, ac ut pii, non ita.* Præclare Augustinus, quinquagesimo & primo in Johannem Tractatu, ad verba Servatoris: *Ubi ego sum, ibi & minister meus erit,* adhortatur: *nolite tantummodo bonos Episcopos & Clericos hoc cogitare. Etiam vos promodo vestro ministrare Christo, bene vivendo; elemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus,*
quibus

CENTURIONIS CÆSARIENSIS.

14

quibus potueritis predicando. Ut unus quisque etiam pater familias hoc nomine agnoscat paternum affectum sua familia se præbere. Pro Christo & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. Adeste & animum advertite, quotquot in militia aliis præestis!

IX. Postquam internam in Cornelio animi pietatem ita expressit descripsitque Lucas, ad eam etiam, quæ in externis operibus sese conspiciendam præbet, progreditur: ἦν, inquit, ποιῶν ἐλεημοσύνας πολλάς τῷ λαῷ, erat faciens eleemosynas multas populo. Quamquam omnis eo, quæ proximo exhibetur, charitas, in quibuscunque sese exserat operibus, siue reverentiam præstet superioribus, siue æqualibus promptitudinem, siue miseris auxilium, siue amoris significationem amicis, siue officium exhibeat cunctis, maximam promereatur laudem & alterum implendæ legis quasi tantum constituat, Matth. XXII. 39. 40. Rom. XIII. 9. 10. tamen summum ejus fastigium in erogandis sincero nec fucato animo eleemosynis cerni, dubitari nullo modo debet. Illæ enim non profluunt vel ex spe alicujus compensationis, vel ex cupidine famæ & gloriolæ, vel ex expectatione paræ amoris, vel ex quocunque alio, qui humanam mentem commaculet, affectu, qualis reliquis amoris officiis plerumque sese insinuat, sed illas extorquet sola erga afflictos & pauperes, qui retribuere nihil possunt, miseratio. Nec enim liberalitatem Cornelius exercuit & sumptuum profusionem erga summum principem suum, erga legionis ducem, erga proceres Cæsarienses, erga amicos divitiis abundantes, ut eos sibi arctius demereretur; in quam munificentiam memorabilem censuram strinxit Christus, Luc. XIV. 12. sed erga τὸν λαόν, erga infimam contemptissimamque plebem, erga populum Judæorum, cui Gentiles, ut quædam κατὰματα, invisi fuerant, adeoque mandatum Christi, antequam Christianus fieret, explevit; diligite inimicos vestros, Matth. V. 44. In illos vero eleemosynas non tam erogavit quam profudit; πολλάς dedit, multas, abundantes, quotidie repetitas. Ita recreavit misellum

B 2

populum,

populum, ut ille *universus*, nemine excepto, v. 22. præclarissimo eundem testimonio ornaret; ut non oratio tantum, sed & eleemosynæ ipsæ in ipsam regiam Divini Numinis aulam ascenderent, allatæ eo vel ab angelis, ut cæset *Origenes* in Jobum ex Job. XII, 12. vel quod probabilius, a pauperibus, ab ipso recreatis, & pro ipso ad Deum orantibus; *εις μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*, v. 4. Deo in memoriam revocantes Cornelii pietatem, ejusque quasi præmium ab illo flagitantes. Ut nempe holocausta per fumum & ignem ad Deum ascendunt, eumque ad gratiam & beneficia commovent. Vide ergo denuo documentum excellentissimæ in Cornelio pietatis, charitatem erga proximum in summum quasi culmen provehentis. *Nihil enim*, inquit *Chrysostomus*, *charitatem ita fovere solet, ac dum se quis misericordem exhibet. Qui ideo in amplissimam eleemosynarum commendationem digreditur, eamque isthoc epilogo obsignat: Melius est habere eleemosynarum fontem, quam auri fontes. Omnibus aurariis metalli fodinis melior est, quæ hoc fert aurum animæ. Non enim in hac regna, sed in ea, quæ sursum sunt, aurum simul concedit, ornatuque fit Ecclesie Dei. Ex hoc auro gladius efficitur Spiritus, gladius, per quem draco obruncatur. Ex hoc fonte lapides promanant pretiosi, qui ad caput assumuntur regis. Ne igitur negligamus tantas divitias, sed inferamus eleemosynam cum largitate, ut consequamur misericordiam Dei.*

X. Ultimum, quod Cornelii pietatem commendat, momentum, orandi ad DEUM studium est & ardor: *ἦν γὰρ δεόμενος τοῦ Θεοῦ διαπαντός*, orabat enim ad DEUM semper. Ut in eleemosynis summum charitatis erga proximum fastigium conspicitur: ita in oratione charitatis erga DEUM. Certant enim in precibus intensissimus erga Deum amor, immota erga ipsius benignitatem fiducia, humillima erga ipsius majestatem reverentia. Orabat autem Cornelius ad DEUM, non ad creaturas, non ad angelos cœlitesque quod facere antehac, gentilismi adhuc tenebris & idololatriæ immerfus, solebat. Nunquam quisquam unquam in sacris a tali pietate laudatus est, cui angelorum cœlitumque cultus involverentur. Orabat denique *διαπαντός*, continue. Quod

Quod & CHRISTUS præceperat : πάντοτε προσεύχεσθαι καὶ μὴ ἐκκοκεῖν, *semper orare, nec defatigari.* Luc. XII, 1. Et Paulus : ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, *indefinenter orate,* 1. Thess. V, 17. Non quod continuo temporis tractu, Eucharum more, (*quod iis, qui de illis audiunt, incredibile videri asserit Hæresi LVII. Augustinus*) vel conceptis verbis vel intra sese oraverit; nec quod aliorum gentilium more βαττολογίαις *usus putaverit multum loquendo citius se exaudiri,* Matth. VI, 7. sed quod nullo die intermissa ab ipso fuerint certa tempora orandi, ut recte Christum atque Paulum eopse loco interpretatur Augustinus. Nam ipse Cornelius dicit, hora se nona in domo sua orationes instituisse. v. 30. Quanto totius animi ardore, qua cum affectuum puritate oraverit Cornelius, sive generatim pro omnium hominum necessitatibus, sive speciatim, *ut DEUS ipsum dirigeret in viam salutis,* ut apud Lyram censent *Doctores communiter,* inde enitescit, quod a quarto usque die, dum orare vellet, jejunavit, v. 30. quodque preces ipsius DEO longe carissimæ fuerunt. Ita enim DEI nomine Angelus : *preces tue & elemosyna tua ascenderunt in memoriam coram DEO,* v. 4. Audivit DEUS has preces, v. 3. 31. Grata fuit hæc Cornelii vociferatio in auribus Divinis. Misit ob eandem angelum suum DEUS in veste splendida, v. 30. Significavitque exauditas esse preces, v. 31. Concessit ipsi motus his precibus Apostolorum coryphæum, v. 5. Prædicari ipsi curavit æternum Evangelium de peccatorum remissione & animarum salute. v. 22. 28. s. Implevit eundem cum omni familia miraculosis Spiritus S. donis, v. 44. s. Postremo hæc universa sacrosancti Baptismi signaculo confirmavit. v. 47. 48. Quanta hæc est, quamque stupenda orationis vis? Quantum quamque memorabile precandi in homine gentili pariter atque milite exemplum!

XI. Habes hic delineatam ex vocum phraseonque virtute, illustratamque ex Divini verbi & naturalis honestatis regulis Cornelii pietatem. Annon vero, inquires, cum hac pietate pugnat, quod Petro adveniente legatur Cornelius idololatriam comisisse & adorasse Petrum? v. 25. *Alph. Salmeron* Cornelium ait, bono

Spiritu Dei actum, Petrum ut Apostolorum principem & Christi vicarium adorasse, quia honor vicarii in dominum ipsum redeat. Tenete risum, amici! Quoniam hunc scilicet Vice-DEUM & totius orbis in sacris pariter & profanis omnipotentissimum Monarcham ex coriarii domo, ubi ad mare, eluendo pellium foetori idoneum, cum cerdone alutario habitabat, v. 6. advocavit Cornelius. *Johannes quoque Lorinus* fuse disputat, quamquam putet Cornelium procidisse ad pedes Petri, non tanquam Pontificis, sed tanquam patris Spiritualis, tamen postea optimo maximoque jure etiam summos Imperatores Pontificis pedi oscula fixisse & inter privilegia ejusdem Gregorium VII. nono loco recensuisse: *quod solus Papa pedes omnes principes deosculentur.* Cum vero Salmeroni objeci posset, Petrum honorem repudiasse, *dicendo, surge, nam & ipse homo sum; v. 26.* quem repudiare non debuisset, si Christi sustinisset in absoluto orbis imperio personam, respondet: *insinuasse iis verbis Petrum, se quatenus homo esset, adorationem non acceptare, acceptare tamen tanquam Christi vicarium.* Subtilissime. Nempe hac plusquam Metaphysica abstractione tum quidem opus fuerat Petro, ne tanta ceremoniarum majestate a Vice-Deatu deterrerentur Neo-Christiani. Nam hodie & ut Papa & homo honorem istum cupidissime admittit, imo ambit Pontifex. *Cornelius vero a Lapide,* auctoritate nixus Gregorii M. existimat, *Petro in primis illis tenuibus sui Pontificatus initiis hunc honorem visum fuisse equo majorem & immoderattorem,* scilicet coriariae societati minus convenientem. Tempori juxta Lapidensem inservit Petrus, vice Christus Politicus, donec commodiore occasione alas extendere & ad pedum oscula non Centuriones tantum, sed & ipsos Reges atque Imperatores adigere possit. Ad has nempe ineptias ille Petri Vice-Deatus, quem bonus Apostolus nunquam habuit, nunquam affectavit, ejus defensores precipitat. Sed nec apud nostros una est circa hanc *περσικὴν* sententia, Et religioso honore Cornelium ex errore voluisse in Petro Deum colere censet *D. Calovius,* cum adoratio illa praecipue in N. T. non nisi Deo tribuatur. Verum cum in V. T. infinites vox illa civili magnorum virorum honori exprimendo adhibeatur, nec a

LXX. Interpretum stylo abhorruerint vel Hellenista promiscue, vel sacri etiam ipsi scriptores, in N. quoque T. de civili cultu legatur, Matth. XIII, 26. nos in simplici *Luca* nostri *Osiandri* interpretatione acquiescimus, qui: *intelligebat Petrus, inquit, Cornelium nimio studio honorandi ministrum DEI longius progredi, quam oporteret, itaque eum honorem, qui ipsi non conveniebat, recusabat & respuebat.* Id vero pietati, cui in hac vita cum perpetuis infirmitatibus luctandum est, non est adversum.

XII. Nunc cum de pietate Cornelii ex sacro textu constat, disquirendum nobis est, naturalisne illa fuerit, an spiritualis? Ex naturali animi bonitate ad tantum pietatis fastigium deveneris Cornelius, an ex revelatione & operatione Spir. Sancti supernaturali? Seu, quod idem est: conversusne ad fidem fuerit Cornelius, antequam Petrus ad eundem concederet, an in media ista pietate tenebris adhuc & infidelitati gentili fuerit immerfus? Quadruplicem reperire est hac de re doctorum & interpretum sententiam. Prima paganum & irrogenitum in ipsa illa pietate facit Cornelium, quippe qui demum per Evangelium, a Petro prædicatum, & susceptum inde baptismum fuerit conversus pietatem vero illam, tantopere a Luca prædicatam ex meris naturæ principiis hauserit, recte applicatis. Secunda eidem Cornelio dona quædam ex supernaturali lumine concedit, per quæ tamen actu conversus non sit, sed per illa tamen ad conversionem adductus. Tertia conversum fuisse Cornelium, ante prædicationem Petri, per gratiam excitantem, in conversatione cum Judæis sese exserentem, opinatur, ut tamen nullam habuerint mysteriorum Christianismi cognitionem. Quarta denique & hanc ei notitiam adscribit, nec quicquam ei defuisse asserit, quam quod de persona Messiae *ἢ ὑποθέσεις* nondum fuerit perfecte informatus, atque ideo ea ipsa de re ab Apostolo Dei jussu debuisse erudiri.

XIII. Primam illam opinionem ex Pontificiis Stapletonus, ex nostris in Expositione Actorum Literali exhibet *D. Georgius Calixtus*. Cujus summa est: *Deum coluisse & precatum esse Cornelium, non nisi ex lumine natura cognitum & prout hoc ipsi dicebat.* Id vero iis suffulcitur argumentis, quod Cornelius fuerit centurio Romanus,

Romanus,

Romanus, nec nomen ante Petri concionem vel Christo dederit vel Judaismo. Quod Petro visio offerri debuerit, qua edoceret, licere Judæo conversari homini gentili, cum a profelytis prohibiti nunquam fuissent. Act. X. 28. Quod Petrus rationem fratribus redditurus, cur introierit ad Cornelium, visionem iisdem narraverit, iique intellexerint: *Et gentibus Deum pœnitentiam dedisse ad vitam.* Act. XI. 18. Quod denique, quæcunque de pietate Cornelii laudantur, naturale lumen viresque non supergrediantur. Credo eandem fuisse sententiam Centurionum Magdeburgensium, qui secundo primæ centuriæ libro, eoque quo de pœnitentia agunt, capite, his utuntur verbis: *conversionem Cornelii præcedunt quidem opera externa carnis, (pietas, timor Dei, elemosynæ, preces) sed tamen non ob sua opera, quæ absque fide Deo non poterant placere, verum gratis a Deo convertitur, misso angelo Et accersito Petro, per cuius concionem de fide eruditur Et absolvitur Et Spiritu S. donatur.* Videri possunt ex veteribus quoque hanc opinionem complecti, qui opera Cornelii *νεκρά ἐπι πίσει ἔκ ἔχοντα*, mortua, quippe fidem nondum habentia, appellant, quos inter Chrysostramus sunt & Oecumenius, qui præterea asserti sui adferunt rationem, quod salus Cornelio & domui ipsius per Petrum demum contingere debuerit, Act. XI. 14.

XIV. Nec dubitari quoque potest, illam quæ Cornelio tribuitur, pietatem, si quoad singulas suas partes, prout verba jacent, simpliciter inspiciatur, in hominem quoque gentilem cadere posse. Vide, rogo te, & lege, quæ Hierocles ad aurea Pythagoræ carmina commentatus est, ut pietatem & DEI timorem ceu *πασῶν τῶν ἀρετῶν ἡγεμόνα*, omnium virtutum ducem, ut proximi, etiam inimici, amorem & juvandi illum promptitudinem, ut studiosissimam DEI in omnibus imitationem, ut inviolabilem jurisjurandi religionem, ut cultum DEI, ad unicam voluntatis suæ normam instituendum, ut preces Deo indefinenter offerendas, commender. Ut hominum conscientiam acriter & severissime imprimat, quod omnia ad Deum, tanquam ultimum finem, sint dirigenda, quod homines vitæ probitatem exuentes a Deo recedant, aliquando etiam reviviscant, cum ad eundem revertuntur; quod

homo

homo offerre se Deo hostiam, suumque animum Divinum simulacrum facere, mentem quoque suam ad Divini luminis susceptionem templum Deo construere & præparare debeat, cum Deus non locum habeat in terra pura anima gratiorem; quod jurejurando neque frequenter utendum neque temere, nec quibuslibet in rebus, nec ad sermonis amplificationem, nec ad narrationis confirmationem atque fidem, sed quantum fieri potest, rebus tantum necessariis simul atque honorificis sit adhibendum, eoque tempore, cum earum nulla salus alia, quam ex sola jurejurandi veritate expectatur; quod parentes summa obedientia sint honorandi, non tamen stulto obsequio amplectenda sit impietas, quod sit omnium malorum extremum atque summum; quod virtutum limes ultimus sit amicitia, principium vero pietas; quod a patrandi scelere pudore avocari debeamus & testimonio conscientia & præsentia Dei. Non produxi verbum, quin in Hierocle extet, Possentque id genus innumera addi, quæ non tam in admirationem, quam in stuporem Christianos conjicere, apta nata sunt. Verissimum enim de hoc libello *Joannis Cürterii* judicium est, quod fronti illius præfixit: *multorum doctorum* *judicio affirmare non vereor, nullum profani nominis autorem luce donatum adhuc, qui tam multa de moribus, de providentia, similibusque rebus, more nostro, id est, Christiano, hostis alioqui nominis hujus acerrimus, tam bene tamque aperte differuerit. Imo non sine Divina providentia effectum arbitror, ut infelici nostro seculo, in quo, post oppugnatam veræ religionis atque morum disciplinam, Deus ipse a multis non obscure petitur, libellus iste in lucem prodiret, qui Philosophicis rationibus ab illis extorqueret, (nisi hominis naturam plane exuerint) quod Divini verbi autoritas persuadere non potuit. Quæ præterea exemplorum extat farrago, ubi in virtutum omnium exercitio, ipsaque adeo pietata secundum naturæ legem exacta, Christianos longo post se intervallo reliquerunt gentiles? Excussit hoc argumentum vir variis scriptis de re literaria optime meritus, *Jo. Franc. Buddeus*, Dissertatione ante sexennium Halæ habita de Pietate Naturali.*

XV. Quid de hac doctorum virorum sententia judicandum sit,

C

EX

ex quartæ opinionis propositione dispalescet. Nobis id tantum adjiciendum est, juxta eos, qui Cornelii pietatem ante Petri adventum naturalem fuisse volunt, eandem Deo non ideo placuisse, ac si in se tantum favorem meretur, cum *sine fide in Christum impossibile sit Deo placere*, Hebr. XI, 6. sed quod ex dispositione Divina via quodammodo esset ad conversionem. Ut enim qui luminis naturæ ductibus ad immanium scelerum perperrationem repugnant, iram in se Dei irritant & viam sibi ad salutem præcludunt, Rom. I, 21. s. *ita qui Deum ex recta ratione cognitum, prout cognoverunt, venerantur, Deo accepti sunt, non quidem, quod ea ratione consequi queant vitam eternam, sed quod, quum lumine naturæ & veritate per id cognita recte utantur, Deus porro pro sua benignitate prospicere illis velit de mediis, quibus ulterius ducantur & ad eam Dei cognitionem perveniant, quæ ad beatitudinem necessaria ac sufficiens fuerit*; verba sunt D. G. Calixti, loco allegato. Bonæ quidem piæque actiones, qua naturæ legi conveniunt, ex se & intentione agentis ad conversionem, actionesque Spirituales ducere nequeunt, cum ignoti nulla sit cupido, *nec naturalis homo intelligat, quæ sunt Spiritus Dei*, 1. Cor. II, 14. a Deo tamen, merito Christi moto, ad inquirendum veriolem Dei cultum diriguntur. Rom. II, 4. Act. XVII, 27. (b) Quo respectu & præparationes nonnunquam & dispositiones ad gratiam ulteriorem recipiendam, impropria loquendi ratione, a Theologis dicuntur, non quidem sensu in Romana Ecclesia ulitato, ubi meritoriam de congruo causandi rationem obire docentur, quod est contra illud Pauli: *ἅρτις ἐξ ἔργων, non ex operibus*, Eph. II, 9, sed prout actiones illæ piæ bonæque remouent id, quod impedire Deum poterat, quo minus Evangelio succurrere & hominem convertere posset. Quem agendi modum accurate in Breviario describit *Hülsemannus*. (c) Non absimili ratione præparationis vox de Johannis

(b) In quomodo fiat, exposui fuse in Disp. de Ordine modoque gratiæ Divinæ in conversione hominis occupatæ, Aph. VI. & VII. Videatur D. *Hülsemann*. c. IIX, Brev. Theol. Th. II. p. 96. & D. *Ost-ander*. Parr. III. Coll. System. Loc. VI Th. XXI. p. 37. s. Itemque Loco X. Th. II. p. 224. s. (c) c. IIX, Th. VI. & VII. p. 109. s.

hannis Baptistæ ministerio usurpatur. Is enim quando clamare dicitur; פְּנוּ דרך יהוה, ἐτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, *præparate viam Domini*, Matth. III, 3. statim exponitur per remotionem obstaculorum: *rectam facite in deserto semitam Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur & omnis mons & collis humiliabitur, fiet curvum in rectitudinem & salebrosa in planitiem.* Es. XL, 3. 4.

XVI. Secundam de Cornelio sententiam, quæ non opera tantum Cornelio, ex lege naturali orta, sed & notitiam aliquam Divinorum mysteriorum, vel ex lecto inter Judæos V. T. vel ex conversatione cum iisdem, vel ex fama de meliore Christianorum doctrina sibi comparatam, adscribit, per quam tamen nondum fuerit plene justificatus, sed tantum ad Christianismum adductus, videtur ex antiquis *S. Irenæus Martyr* complexus esse, qui diserte affirmat, Cornelium quamquam infidelem, Deum, quem ante Petri adventum coluerit, *per legem & Propbetas audivisse.* (d) Cui associat quidem Cornelius a Lapide Chrysostomum & Basilium, sed id quidem, si verba ipsorum propius inspiciantur, non dicunt. Nec defuisse quoque inter Romanæ Ecclesiæ doctores, qui idem de Cornelio senserint, diffitetur *Lerinus*. Et in promptu ratio est, quod inter Judæos habitaverit Cornelius, quod de Messia & redemptore mundi multa audiverit, quod de miraculis in populo Dei factis plurima legerit, quod ideo ex amore erga Judaicam religionem Judæos ingentibus beneficiis & eleemosynis affecerit. Quo ipso fieri non potuisse videtur, quin ex meliori Judæorum religione gentili suæ, quamquam ad eam, quam poterat, perfectionem deductæ, plurima addiderit, eoque ad Christianam religionem, recens caput efferentem, atque adeo ad animæ suæ salutem quasi per viam aliquam gradumque fuerit adductus. Quæ omnia singulaque, quam non a verisimilitudine tantum, sed nec a veritate ipsa sint aliena, quamquam veritatem nondum plene assequantur, ex iis constare poterit, quæ circa quartam sententiam observaturi sumus.

XVII. Tertia sententia plerorumque omnium Pontificiorum est. Docent enim, Cornelium ante adventum S. Petri a Judæis,

C 2

quibuscum

(d) Lib. III. adv. Hær. c. XII. p. 189.

quibuscum Cæsareæ versabatur, didicisse hausisseque fidem explicitam unius Dei & implicitam Christi Mediatoris, coluisseque adeo verum Deum. Fides implicita Christi est, cum ignoratur quidem omnimodo Christus, sive quoad personam, sive quoad officium suum, cognoscitur vero Pater, qui est *unum cum Filio*, Joh. X, 30. Quemadmodum visa arca implicite cognosco argentum, in ea reconditum, quamquam explicite ignorem, argentum arcae inclusum esse. Atque hanc talem implicitam in Christum fidem una cum bonis operibus, qualia in Cornelio fuerunt, ajunt Romanenses ante sufficientem Evangelii promulgationem, suffecisse, ad hominem justificandum & salvandum, non item post promulgationem novæ legis. Tum enim explicitam quoque Servatoris Christi notitiam, ad augendam retinendamque acquisitam jam antea justitiam fuisse omnino necessariam. Atque ideo jam tum, cum Evangelium ab Apostolis in omnem mundum disseminaretur, informandum quoque fuisse Cornelium de eo, quod ignorare amplius salva salute non poterat. Hanc autem gratiam, qua fides Cornelii ad explicatam Christi cognitionem extendebatur, promeruisse Cornelium per pietatem illam, tantopere de ipso prædicatam.

XIIX. Atque hæc in compendio & dilucide proposita, est Romanæ Ecclesiæ de Cornelio, jam ante Petri prædicationem converso & justificato, sententia. Quod ajunt, Petrum illam implicitam fidem didicisse a Judæis, revelatione Divina gaudentibus, non aliam ob causam faciunt, quam ne videantur incidere in Pelagianismum, cujus doctrina est, posse hominem sine gratia ex solis naturæ viribus ad fidem sese disponere & adeo salutem consequi. Sed vero impactam ipsis hæresin non valide a sese removent. Fatentur enim nihilominus, sola legis naturæ & charitatis servatione gentiles salvatos esse. Et licet non habuerint fidem in Christum, *nonnullam tamen fidem habuisse & nonnulla opera*, ut loquitur *Alphons. Salmeron*, fidem scilicet, *perquam credebant, quia DEUS est & inquirentibus se remunerator est*. Videri enim *coarctare Christi sanguinem, si dicatur nullus unquam servatus aut ex Judæis, aut ex gentibus, nisi per explicitam & claram Christi fidem*.

Potius

Potius suavius esse Divinaque misericordia & Christi meritis congruentius, si asseramus, etiam inter gentiles & Judæos plerosque per fidem implicitam DEI salutem esse consecutos. Quod si regeratur, non esse ullum sub cœlo nomen, in quo salvari homo possit, nisi unius Christi, respondet: *fidei articulum esse sanctorum communionem; habentes igitur fidem mutuari & communicare fidem non habentibus.*

XIX. Quid vero Pelagianismus est, si hoc non est? Sine fide in Christum explicata, solis naturæ operibus hominem salvari? Fides enim implicita & mutuata alius fides, qui Christum toti ignorant, non est fides in Christum, sed ignorantia Christi. Condemnat hujus fidei monstrum Arausicanæ Synodi caput quintum: *si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratia donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Quam in rem loca allegantur Phil. II. 13. I. 6. Eph. II. 8. At juxta Salmeronem gentiles ad pietatem non per gratiæ donum seu inspirationem Spiritus S. sed naturaliter pervenerunt. Quare quod supra dixerat Salmeron: *gentiles plerosque per fidem implicitam Dei salutem esse consecutos*, id pro re absurdissima in sequentibus verbis reputat Synodus, cum ait: *Qui fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles (nonnulla fide præditos dixit Salmeron) esse definiunt.*

XX. Illa vero de gentilium salute doctrina per argumenta pro quarta sententia adducenda ultro corruet. Quod vero ad Patres, quos magno numero adducunt Pontificii, spectat, non diffitemur, nonnullos humani quid hic passos esse, eos imprimis, qui ante Pelagiana certamina vixerunt. Quamquam de singulorum sententia idem judicari nequaquam debeat, cum nonnunquam nonnisi obtorto collo in Romanorum partes rapiantur, (e) & si, quorum

C 3

senten-

(e) Egere de his fuisse D. Hülsemannus, De Aux. Gr. p. 96, s. D. 70. Ad.

sententia dubia est, removeantur, paucissimi remaneant, de quorum consensu gloriari possint.

XXI. Perquam vicinum huic Pontificiorum doctrinæ, cui & Sociniani & Arminiani & Fanatici plerique adplaudunt, est Quackeorum Lumen connatum vel insitum, quod vocant salutiferum, de quo hanc ponit thesin celeberrimus ea secta Barclaius: *Hujus lucis & seminis operationibus quidam sunt servati & adhuc possunt servari, quibus Evangelium externe nunquam predicatum fuit, nec historia Christi externa unquam nota.* (f) Id quod deinde Cornelii nostri exemplo & conclusione Petri: *in veritate deprehendo, quod non sit personarum acceptator DEUS, sed in omni gente, qui timet ipsum & operatur justitiam, acceptus ipsi est, v. 34. 35.* amplissime comprobatur. Id vero differentia inter Pontificiorum, Arminianorumque, quas appellant, dispositiones, lumini naturali attributas, & Lumen istud congenitum intercedit, quod illæ vel ad supernaturalem notitiam, in iis, qui nullam adhuc habent, vel ad notitiæ illius augmentum in iis, qui jam supernaturali lumine illustrati quodammodo sunt, tanquam veræ causæ, aut etiam merita de congruo, ducant, hoc vero, describente Barclaio, in seipso complectatur *mensuram quandam luminis Filii sui, mensuram gratiæ, seu manifestationem aliquam Spiritus, quam Scriptura vocet semen regni, verbum DEI & Evangelium omni creature predicatum.* (g) Quo pacto nulla nisi graduum differentia inter lumen congenitum & ex prædicatione Evangelii exterius & supernaturaliter accedens, inter naturam & spiritum, inter Judæum & Græcum relinquatur. Et si quilibet congeniti luminis virtute sufficientibus gratiæ & Spiritus prædiis instructus est ad salutem perveniendi, cur Cornelio nova revelatione opus fuit, qua salvaretur ipse & domus ipsius? Act. XI. 14. Quis non potius ex Cornelii

Ofsand. De. in Lum. Nat. Disp. VI. §. XXVII. Ipsi Arminiani, quamquam sententiæ de salute gentilium vehementer faveant, tamen difficultate defendendæ sententiæ in memorabiles dubitationes abripiuntur. Vid. *Limborch. Lib. IV. c. XI. Num. XI.* Et contra eundem *D. Franck. Exerc. VII. c. IV. p. 376. f.* (f) *In Apol. Th. V. & VI, p. III. f.* (g) *Apol. p. 79.*

nelii exemplo hunc in modum colligat: quamquam Cornelius ex naturæ instinctu, (quod jam ponemus) pius fuerit & DEUM timens, tamen a DEO necessarium judicatum fuit, eum in finem, ut salvari cum tota domo posset, Divini eundem verbi participem reddi & Christum crucifixum, quem hactenus pro Salvatore non agnoscebat, ei prædicari: ergo ex solo congenito Lumine salutem adipisci nemo potest? Cæterum non ait Petrus: in veritate deprehendo, quod Deus religionem non respiciat, (id enim si verum esset, quem in finem Christianam religionem prædicari iussisset, ut qui secundum illam crederet, salvaretur qui non crederet, damnaretur? Marc. XVI, 15. 16.) sed quod non respiciat personam, dummodo pia illa sit, (pius autem nemo esse potest, qui *ὁμολογούμενος μέγα μυστήριον* & fundamentum *τῆς εὐσεβείας*, I. Tim. III. 16. seu omnis pietatis vel ignorat vel inficiatur) & operetur justitiam. Operari vero justitiam est *ἐργάζεσθαι* seu *operari* cibum manentem in vitam æternam Joh. VI. 27. Hunc vero cibum operari est *πιστεύειν*, credere in Filium, quem misit Pater, v. 29. interprete irrefragabili, Christo. Quod confirmat Paulus: *fides imputatur ad justitiam*. Rom. IV, 5. *Justitia DEI venit per fidem in Jesum Christum*, Rom. III, 22. *Gentes adeptæ sunt justitiam, sed justitiam ex fide Christi*. Rom. IX, 30. (h)

XXII. Daniel Zwickerus, nominatissimus Unitarius, Irenici Irenicorum. Nova Confirmatione ex Cornelii nostri exemplo concludit, non tantum gentiles salva religione gentili, sed retenta etiam quadam idololatriæ parte, salvari posse. Si Cornelius centurio, inquit, vir pius DEUMque timens Apostolum Petrum, esse Divino tantum testimonio ornatum, mox adorare, eique Divinos honores conferre voluit, quid, queso, mirum est. Christianos ex gentibus, Deificationi tali præstantium virorum jam inde a pueritia adpetos,

(h) De congenito Quackerorum Lumine salutifero & quod illud fundamentum in exemplo Cornelii nullum habeat, novissime egerunt D. Schelgwig. in Quack. conf. Part. I. p. 94. M. Joh. Christoph. Holtzhausen in AntiBarel. Germ. p. 488. f. D. Henr. Wiedenburg. Disp. Inaug. de Lumine salutifero, omnibus hominibus congenito.

adsuetos, Christoque cultum Divinum post DEUM Patrem competere videntes, ac de Divinitate ejus per nonnulla obscura Scripturae loca quodammodo persuasos, eidem Christo Divinam naturam tribuisse, eumque DEUM ipsum e caelis venientem & in uterum Mariae delapsum credidisse? Mira hæc est & doctore Medico-Theologo digna collectio! Cui nunc tantum ex suomet coetu oppono Jo. Ludov. Wolzogenium, Baronem Austriacum, ad illum Aetorum locum scribentem: προσκυώντων, submisit veneratus. Non quod Petrum coleret ut ipsum DEUM, sed ut DEI legatum excellentem, per quem ei DEUS voluntatem suam se declaraturum indicavit.

XXIII. Ad ultimam de Cornelio sententiam devenimus, quæ eundem & fidelem facit & necessariis Christianæ religionis mysteriis, de Deo in Filio suo & Spiritu S. colendo, deque Redemptore mundi, vera fide, prævia seria peccatorum agnitione, amplectendo, antequam Petrus Cæsaream advenisset, ex lectione S. literarum & fama de prædicatione Johannis & ipsius Christi imbutum; cui adeo nihil defuerit, nisi ut redemptorem suum etiam in persona agnosceret & veneraretur. Quæ sententia ut communior, ita omnino verior est. Neque est, ut in fronte te statim opponas, dicasque: si ex lectione V. T. ipsaque de Christi concionibus fama fidem concepit in Messiam, cur non ex eodem & historiae Christi collatione ipsam Messiae personam agnovit? Si ex fama de Johannis Baptistæ in deserto clamoribus, cur ab eodem baptizari se non confestim est passus? Cur in tanta luce expectavit Angelos & Petrum? Velim verò te considerare, quisquis hæc objectas, quanta tum fuerit Judæos inter & gentiles ex Divino consilio distantia? Christo ipso dicente; *non sum missus nisi ad oves perditas de domo Israel*, quando simul gentilem mulierem ceu alterum canem a sese rejecit. Matth. XV, 24. 26. Quam graviter vero præcipit Apostolis suis: *in viam gentium ne abite, & in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini. Ite potius ad oves perditas de domo Israel*. Matth. X, 5. 6. Et quamquam plurima patraret miracula, tamen & illa & seipsum, quis esset, subinde clam haberi apud Judæos, nedum apud gentiles voluit, Marc. III, 12. Matth.

Matth.

Matth. XVI, 20. XVII, 9. Si vero quandoque in synagogis prædicavit, gentiles tamen ab his conventibus nativa Judæorum aversione fuerunt exclusi. Unde si quandoque & quasi extra ordinem gentiles, etiam summa fide præditi, opem ipsius implorarunt, nonnisi timide & cum pudore quodam illum accesserunt. Luc. VII, 6. Oec etiam probabile est, Johannem ullum unquam gentilem baptizasse, cum nec Apostoli ipsi, post resurrectionem, imo post effusa Spiritus S. dona, quemquam gentilem adire aut baptizare voluerint, nisi primo miraculosa e cælo significatione certi redditi, submotum esse *intergerinum parietem*, Eph. II, 14. & gentiles ad Ecclesiam admissos. Act. XI, 2. f. Latuerat igitur hoc pacto inter Judæos Cornelius, indignum se judicans Judæorum Christianorumque Sacramentis & Christum forte pro magno Propheeta habens, Matth. XVI, 14. Qui cum & ipse occultari, neque palam pro Messia haberi voluerit, quousque inter homines vixit, post ascensionem vero prædicari, nisi præterlapso certo Divini consilii termino, noluerit; Judæi etiam plerique Christum tanquam plannum quendam in tota Judæa traduxerint, reddiderintque gentilibus exosum, quid mirum est, quod clausi tenerentur ad Christi personam ipsius oculi, donec Deo placeret, publico præconio & miraculosis interdum apparitionibus etiam gentibus manifestare mysteriorum suorum majestatem, eosque ad fidem, non in redemptorem tantum aliquem indefinite, sed Christi Jesu crucifixi adducere? Quod igitur Deus antea *ὕπερβειδς, quasi dissimulavit*, Act. XVII, 30. id ab hoc ipso tempore, clarissimo in ipsa meridie sole lucente, sub æternæ salutis jactura requisivit, Marc. XVI, 15. 16. Act. IV, 12.

XXIV. Illam sententiam ex nostra quidem Ecclesia plerique omnes defendunt, e quibus nunc nominasse sufficiat Lutherum, cujus verba Articulis Smalcaldicis, eorumque capiti de confessione illata sunt, Osiandrum, Flacium, Quistorpium, Affelmannum, Gerhardum, Waltherum, Majorem, Lenæum, Dorscheum, Calovium, Kromayerum, Scherzerum, Quenstedium, Spenerum, Bechmannum.

XXV. Nititur vero illa duobus invictis fundamentis; uno, pietatis

pietatis descriptione, quæ non nisi homini vere converso compe-
tere potest, altero, pietatis effectu, qui non nisi ex homine con-
verso profluere potest. Describitur Cornelii pietas, triplici cum-
primis voce, singularem in se emphasin habente; quippe dicitur
pius, Deum timens & justus. v. 2. & 21. Quarum significatio qua-
liscunque, quamquam etiam in hominem mero rationis auxilio
utentem cadat, ceu supra ostendimus, §. XIV. recte tamen ad-
vertit *Affelmannus* noster, Scripturæ usu nunquam nisi de exacta
ad Divini verbi normam pietate usurpari. Nunquam alias gen-
tiles nisi cum summis intellectus & voluntatis tenebris descri-
buntur. Inter Ephesios plurimi sine dubio fuerant boni probi-
que viri, quippe in tanta tamque celebri urbe, & tamen dicun-
tur una cum cæteris alibi gentilibus *ambulasse in vanitate mentis
ipsorum, obtenebrati intellectu, ab alienati a vita Dei, per igno-
rantiam, quæ erat in ipsis, per duritiem cordis sui,* postquam ve-
ro ad Christum conversi fuissent, Spiritu mentis suæ in Christo,
(in quo solo sit *ἀληθεια, veritas*, coram oculis Dei consistens)
renovatos, novosque homines factos esse, Eph. IV, 17. 18. 21. 24.
Et quamquam ipsorum Philosophi unum Numen ejusque cul-
tum docuerint, dicuntur tamen, quia Deum in Christo non co-
gnoverunt aut coluerunt, *ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, sine Deo in mundo.*
Eph. II, 12. Apud quos vero Deus non est, qui pietas esse potest?
Et ubicunque ab alienata mens est a Christo, ibi veritas non est,
ibi pietas non est, ibi justitia & timor Dei non est, quæ a Deo ap-
probentur, Deoque placeant. Et sicubi aliquid sit in gentili-
um virtutibus, quod Divinæ voluntati conveniat, nævos tamen eidem
adhærentes ita id exosum Deo reddere, alibi profitetur Apostolus,
ut nolit ullam timentibus se cum gentili-um tenebris, cum infide-
litate, cum Beliale esse communionem; secus si fiat, se in ipsis
habitare non posse, tanquam in templis, II. Cor. VI. & s. Pietas
igitur in centurione intelligitur cum *ἐμφάσεις*, non qualis in gen-
tilibus est, sed Christiana, timor Dei, non ex metu pœnæ, Rom.
I, 32. sed ex amore proveniens, justitia, non propria, in vanis pu-
tidisque operibus consistens, Phil. III, 7. 8. sed quæ venit per fidem
in Christum Jesum & per quam solam justii coram Deo censemur,
Rom, III, 22. 24. 28. Uno verbo, pietas vera & Christiana.

XXVI.

XXVI. Christianam hanc pietatem magis confirmant effectus fructusque eidem adscripti, ex parte quidem Cornelii eleemosynarum elargitio & indefessum precandi studium, ex parte Dei vero precum exauditio & eleemosynarum in cœlum ascensio, cum iisdem commotus Angelum Cornelio & Apostolum miserit, perque hunc deduxerit ad uberiores in Christianismo ad salutem ipsius & totius familiæ æternam profectum. Ea quidem munificentia in pauperes & precandi ad Deum opera, cum reliquis pietatis & justitiæ exercitiis, quæ & in gentilium moratoribus nunquam aliquo gradu deprehenduntur, commovere Deum, non quidem sua dignitate, sed qua pars ordinis Divini sunt, quam præcedere vult Deus reliquam gratiæ suæ dispensationem, & impedimenta ejus quasi removere, quodammodo dici possunt, ut ulteriore iisdem gratia subveniat; sed insolens plane & inauditum in universa Scriptura est, hominis gentilis, extra Christum & Dei gratiam positi, virtutes tantum apud Deum posse, ut ei angelum mittat, ut Apostolum, ut preces ipsius, tanquam sibi apprime placentes, respiciat, cum hæ fieri non debeant, neque gratæ sint, nisi *in nomine Christi*, Joh. XVI, 23. Et qui precibus non æque colit Filium ac Patrem, is nec Patrem colat. Joh. V, 23. Ut summarim dicamus: *sine fide in Christum impossibile est placere Deo*. Hebr. XI, 6. Quod intelligi de fide, non qua fiducia est in Deum generatim posita, sed qua in Christi merito unice recumbit & ab eodem omnem gratiam & favorem expectat, invicte ex eo colligitur, quod agatur de fide, de qua Habacuc dixerat: *justus in fide sua vivit*; quippe quod immediate antecesserat, Hebr. X, 38. Illam vero justificantem esse, dubitare nos vetat Paulus Rom. I, 17. & Gal. III, 11. Cum igitur Cornelii pietas tantum Deo, quantum unquam cogitari potest, favorem expresserit, quis eandem ex fide in Christum, *in quo dilecto unice dilecti sumus*, Eph. I, 6. & in quo solo *benedicimur omni benedictione spiritali in cœlestibus*, v. 3. profluxisse ullo modo dubitare potest?

XXVII. Fidelis igitur fuit, antequam a Petro de Christo edoceret, Cornelius. Utrum profelytus? Et qualis? Utique videtur prima fidei suæ initia ex V. T. lectione apud Judæos hausisse,

aucta deinde non parum ex fama de concionibus Christi; cum non habitaverit tantum apud illos, sed eosdem in pretio habuerit, quippe quos & varia beneficentia adjuvit & honestæ piæque vitæ famam ab iisdem reportavit. Non autem fuit profelytus justitiæ vel fœderis, cum nec circumcisionem susceperit, nec legibus se Judaicis adstrinxerit. Talis enim si fuisset, prohibitum Judæo, atque adeo & Petro non fuisset, quo minus confidenter eundem accederet, cumque eo, tanquam suæ religionis, suorumque in templo rituum consorte, conversaretur. Qui tamen ad Cornelium ejusque necessarios veniens testatur: *vos novistis: quam nefas sit viro Judæo adherere aut accedere alienigena. v. 28.* Erat ergo profelytus portæ seu domicilii, quod hominum genus fidem quidem Judaicam in Messiam, non vero ritus legales recipiebat. Hos etsi extra Hierosolymam, primis quidem temporibus, tolerabant inter se Judæi, a conversatione tamen cum iisdem familiariori abstinabant. Quamquam postremis politicæ Judaicæ seculis, cum sui juris amplius non essent Judæi, neque integrum fuisse iisdem verosimile sit, illos a consortio suo aut locis etiam sacratis arcere. Quos mores omnium diligentissimus describit *Seldenus*. (i)

XXIX. Una superest militis nostri pagani gloria, ab antiquis Ecclesiæ patribus impense prædiata, qua gentium ad Christianam fidem conversarum primitiæ appellatur. *Origine* Homilia undecima in Numeros: *Cornelius ille non solum Ecclesiæ Casariensis, sed fortassis & omnium gentium primitiæ appellandus est. Primus enim creditit ex gentibus & primus sancto Spiritu repletus est.* *Hilarius* canone XXI. in Matthæum: *Per Petrum Cornelius Christo tanquam primitiæ gentium adductus est.* *Ambrosius* Sermone LXVII.

(i) Lib. II. De Jure Nat. & Gent. c. V. Quamquam igitur Judæi Casarienses ob ingentia beneficia, quibus a Cornelio maestabantur, a conversatione ejusdem minime abstinabant, recte tamen Petrus, qui pro rigido Judaicæ religionis sectatore haberi volebat, ne Judæos, quibus Christum prædicare debebat, offenderet, *ἀνομιαν* allegabat. Conferatur *D. Job. Tob. Major* ad Act. p. 138. f. Ubi negat, Cornelium profelytum vel justitiæ vel portæ fuisse, tamen ait religionis profelytorum fuisse quam proximæ;

ne LXVII. *In Ecclesia primum animal Deo ex gentibus Centurio Cornelius est immolatus* Hieronymus ad Salvinam: *Cornelius primus ab Apostolo baptizatus salutem gentium dedit.* Quamquam incertum sit, quo anno ad fidem Christi perductus sit Cornelius, quod nihilominus factum, antequam Petrus ex Judæa discederet, ante Cornelium tamen in Evangelica historia duo centuriones & mulier Cananæ, itemque semigentiles nonnulli Samaritæ, fideles, in Apostolorum Actis Cubicularius Regina Cananæ baptizatus a Philippo esse legitur. Act. IX, 27. 38. Sed de hoc perquam ambiguum est, Judæusne fuerit, vel solum profelytus justitiæ, an gentilis? Jam tum enim Judæi in aliis etiam regionibus, dignitatibus nonnunquam admoti, vivebant; & Æthiopum cum Judæis familiaritatem, circumcisionis item ritum, ab iisdem receptum, *Strabo* pariter atque *Josephus* memorant. Qua de re fuse agit *Lorinus*. Majori dubitationi obnoxium est, quod *Jacobus Apostolus* integram Hispaniam peragrans gentiles ad Christianam religionem converterit, antequam Cornelii incidere conversio. Id *Cass. Sanctius* mordicus cum aliis civibus suis defendit, vocans *antiquam traditionem, quæ ab Ecclesia primordiis ad nostrum usque seculum producta sit.* Natalis vero *Alexander XV.* ad seculum primum Dissertatione hanc e contrario ponit propositionem: *Sanctum Jacobum nunquam in Hispanias profectum validis argumentis demonstratur.* E nostris quoque *D. Job. Tob. Major* Sancti Argumenta in caducum inclinare parietem in Annotationibus ad Actorum librum demonstrat. Quicquid vero ejus rei sit, manet Cornelius noster primus e gentibus solenniter & prævia Divina atque miraculosa admonitione desublato inter gentes & Judæos in discrimine conversus. Si qui enim antea fuerunt conversi, exempla extra ordinem fuerunt, manente gentium & Judæorum quoad ordinem vocationis ad Ecclesiam ordinario discrimine. Postquam vero Cornelius præcedentibus tot mirabilis ad Ecclesiam vocatus est, januam quasi cæteris omnibus suo exemplo aperuit, ut non minus amplius neque rarius neque difficilius in Christianismi plenissimam possessionem intromitterentur.

XXIX. Si Martyrologio Romano ad secundum Februarii diem fides habenda est, Cornelius Centurio primus factus est Cæsariensium Episcopus, domo ipsius in Ecclesiam conversa, quam suo tempore adhuc se vidisse testetur Hieronymus. Ita *Cæsar Baronius* in Notis ad illum Martyrologii diem. Sed quam fallax sit martyrologiorum fides, si destituantur veterum, præcipue coævorum testimoniis, ab *Is. Casaubono* aliisque abunde demonstratum est. Qui & notat, memoriam Cornelii a Latinis secundo Februarii, a Græcis vero nono & decimo Septembris die celebrari. Quemadmodum vero Cornelii, tanquam Cæsariensis Episcopi, veterum nemo meminit, ita Hieronymus Epistola ad Eustochium Virginem Paulam Matrem Cæsareæ vidisse ait *Cornelii domum, Christi Ecclesiam*, quod incertum est, utrum de Ecclesia intellexerit ex Cornelii domo extracta, vel de domo pro Ecclesia ab eo tempore usurpata, an vero de domestica Ecclesia Petri præsentia & miraculosa Divinorum donorum effusione, quasi consecrata? Quam in re parum situm esse, dummodo nugæ, a sequiorum seculorum scriptoribus Cornelii historiæ assuetæ, rescantur, non immerito ad annum Christi quadragesimum notat *Job. Henr. Ottius*.

XXX. Repræsentavimus hæc in compendio Cornelii pietatem & quæ eidem sunt connexa. Agnoscamus igitur, veram Deoque placentem pietatem non in honestate aliqua morali, ex naturæ principiis haurienda, sed in ænimi motu, per superius Spiritus Sancti lumen, virtute Servatoris nostri effecto, consistere. Illam ex notitia Dei & Servatoris generis humani per devotam verbi Divini lectionem acquisita tanquam ex salutari fonte oriri. Sine illa omnem pietatem inane solummodo pietatis simulacrum, nequaquam veram pietatem esse. Pietatem perpetuo cum timore DEI, in omnibus actionibus suis Divini verbi regulam respiciente, conjunctam atque adeo nihil quicquam nobis faciendum esse, quo Deum quocunque facto offendamus. Eandem omne vitæ genus sacrum, civile, plebejum, etiam militare, decere atque ornare. Qui veræ pietati serio studet, non suæ tantum sed suorum etiam & aliorum animæ severam anxiamque curam gerere.

Eundem

Eundem non posse non ob Deum, quem colit, ministros ipsius & reverenter habere & iis, quæ DEI nomine prædicant & injungunt, fidem habere & gerere morem. Infucatae pietatis esse, propter Deum & proximum amare etiam a me animo alienum & inimicum. Hujus documenta in commiseratione, afflictis præcipue & pauperibus præstita, maxime conspici. Summum pietatis fastigium esse, omnem animi sui fiduciam & mentis propensionem in Christum crucifixum collocare & ab eo solo expectare salutem. Hanc vero perpetuo & indefesso orandi studio, cujus indivulsus comes est gratiosa exaudito, libenter alacriterque testari. Supremam denique eminentissimamque hominis gloriam esse, a pietate celebrari. Faxit Deus, ut quotquot in officinis pietatis vivimus, ad hanc pietatis ideam omnia studia & actiones nostras unice dirigamus, ut fructu aliquando pietatis, æterna animarum salute, perfruamur!

F I N I S.

Summe Reverendo, Amplissimo, Excellentissimoque VIRO,

DN. M. DAVIDI CASPARI,

Rigenſium Theologo Primario, Eccleſiæ Superintendenti, Regii Conſiſtorii Adſeſſori & in illuſtri Gymnaſio SS. Theolog. Profeſſori, de omnibus officiis præclariffime merito,

S. P. P.

EX quo BEEZIUS Veſtras ad hanc noſtram Academiam appulit, illico id ſibi negotii datum eſſe intellexit, ut alacri nec unquam remiſſo ſtudio ad eum finem graſſaretur, quem ſibi præſtitutum Divino nutu per optimos religioſiſſimosque Parentes eſſe non ignorabat. Itaque ſancte vereque aſſerere de eo poſſum, quicquid ad hunc ſcopum facere quacunque ratione videbatur, id ſtrenue ſemper executum eſſe. Et Divina quoque benedictio eo abundantius adſpirabat cœptis, quo ſeriam magis intaminatamque colebat pietatem, ab omni vitæ impuritate & naturæ quadam bonitate & Parentum diſciplina longe remotus.

motus.

motus. Conspexi hunc in studiis ardorem & vitæ innocentiam in ædibus meis, quarum incola fuit, his meis oculis, quibus & fidem Tibi facio, Vir celeberrime. Tibi enim præcipue & per Te charissimæ patriæ commendatum se cupit BEEZIUS. Nihil lectionum mearum fuit, nihil reliquorum Professorum, quod in usum suum non converterit. Etiam perpetuis meis examinibus, quibus universam Theologiam, semper in orbem eundo, excutio, libentissime sese subjecit, nec, credo, vel semel se congressibus subtraxit. Ea calamitas, quæ Patriam interea ipsius adflixit & ex qua incomparabilis Regis virtute jam nunc respirare incipit, funestissimique casus, quibus in communi infortunio & Parentes ipsius involuti sunt, quamquam quo dolore bonæ matris obitum tulerit, quisque judicare facile potest, ad faciendum officium alacriorem eundem reddiderunt. Nec est, quod ullam de hoc Filio curam gerat Pater; viam enim currit proprio ingenuæ mentis motu, qua scopum, DEO gloriosum & Patriæ aliquando salutarem, sine ulla dubitatione attingat. Jussit illum Parens & publico specimine industriam suam comprobare. Id facit præsentis Disputatione, eaque Tibi summa cum observantia insinuari cupit, Vir Amplissime. Et ego quoque meo hoc alloquio honestissimos ejus conatus eo libentius Tibi commendo, quo impensius me a te amari sentio, quem affectum jam inde ab Academica consuetudine ad hoc usque senium nostrum intemperatum mihi servas, perque Filium Tuum, Academiam nunc nostram virtutibus, origine sua dignis, impense ornantem, variis documentis quotidie mihi certiores efficis. Vale optime, Scr. in musæo. D. XIV. Octobr. A. MDCCCI.

Excellentissimo Nomini Tuo

Repectu addictus

JO. FECHT, D.

Coll. diss. A. 32, misc. 56